

DISPUTATIO XIX.

De Discrimine peccati Mortalis & venialis in renatis.

1. Discrimen inter peccatum Mortale & veniale non est commentum Scholasticum, sed habet fundamentum in divinis Scripturis.

2. Psalm. 19. 13. Distingvuntur peccata occulta (hoc est, per ignorantiam, imprudentiam, seu incogitantiam admitta) à peccatis alienis, hoc est, quæ alienos nos reddunt à regno DEI, & quibus adoptio Filiorum DEI amittitur.

3. Num. 15, 22. Distincta instituuntur sacrificia, quando anima per errorem aut ignorantiam peccaverit: & quando per superbiam aut contumaciam peccaverit.

4. Ex Psalm. 32, 1. Discrimen apparet peccatorum, quæ teguntur, in pœnitentibus, & eorum, quæ impœnitentia reteguntur, ut fiant manifesta.

5. 1. Joh. 1, 8. c. 3. 6. 8. 9. Joh. 8, 34. Matth. 7, 13. Rom. 7, 23. c. 8, 1. Ezech. 18, 24. & alibi manifestum ponitur discrimen inter habere peccatum & facere peccatum, sive operari iniquitatem, & inter peccatum inhabitans in renatis, in quibus tamen non est condemnatio, & peccatum damnans & mortem afferens.

6. 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 21. Eph. 5, 5. Describuntur peccata, per quæ amittitur hæreditas regni DEI, & propter quæ venit ira DEI super filios incredulitatis, hoc est, qui ante crediderunt, & fidem per peccata illa contra conscientiam admitta excusserunt. Nam, de aliis, qui nunquam fidem habuerunt, dicitur Joh. 3, 36. quod ira DEI maneat super illos.

7. Hinc igitur manifestum est, esse differentiam inter peccata mortalia & venialia in Scripturis fundatam.

8. Quæ differentia explicatur distinctis appellationibus peccati, Hebræis & Græcis. Quarum aliæ notant peccatum, quod ex superbia cordis, sine timore DEI committitur, ex malo proposito: quo abjicitur dominatio superioris, & contristatur & exacerbatur Spiritus Sanctus, quod est DEO abominationi, attrahens desolationem; aliæ vero significant peccatum, quod non ex deliberata malitia, sed ex errore, ignorantia, seu infirmitate aliqua committitur.

9. Eam